

III. Memorabilia nonnulla *Lacus Vetteri*, Auctore
Urbano Hearne, M. D. Serenissimæ Reg. Ma-
jest. Suecicæ Archiatro, & Conciliario Collegij
Metallici ord. nec non Societat. Regiæ Londinen-
sis Socio.

Quandoquidem admiranda nonnulla ac insolita de *La-*
cu Suecicæ Vetero, Olaus Magnus aliq; referunt au-
 tores. Operæ pretium duxi, cum æstivo tempore
 ad *Medevienses* subinde Secederem Acidulas, in dicti lacus
 indolem & Scriptorem fidem penitus inquirere, inque iis
 quæ propriis observationibus experiri non licet, eorum
 indagare testimonia, qui in vicinia habitantes, & antiqua
 commendati fide veris narrationibus meis satisfacere possent
 quæstionibus. De his verò quidquid expiscari contigit,
 Illustri Societati Regiæ lubens volui exhibere, ut non mi-
 nus quid rarius ibidem accidat, eidem plenius innotescat,
 quam veritatem historiæ à commentis queat dignoscere.

Accuratè adeo situm hujus *Vetteri* descripserunt Geogra-
 phi, ut frustra plenius eundem conarer exponere, quippe
 qui à Septentriione meridiem usq; vergens, de *Askerfundio*
Nericæ ad Jonekopiam Smolandiaæ 14 Suecica metitur milli-
 aria, quorum quodlibet 5 vel 6 millaria *Anglica*, & de-
 cem unum fere conficiunt gradum. Latitudine verò 3,
 nonnunquam vix 2 superans millaria, *Gothiam* in duas di-
 vides partes, quarum quæ ad orientem sita, *Ostrogothia*, &
 ad Occidentem *Westrogothia* communiter nuncupater. Illius
 ad ripam cum Arce & civitate *Vadstenensi* celebris cernitur
 mons *Ahme* vel *Ohme*, ad hujus verò vetus illud *Westrogothie*
 oppidum *Hio*. Lacus autem ipse ob elevationes montium
 colles,

colles, qui hunc in ipso litore saepius ambiunt, nonnunquam paulo remotiores prominent, adstantibus semper apparet ad latera depresso. Profunditate gaudet insigni, adeo vero inaequali, ut aliquibus in locis ad 80, in confiniis vero *Ostrogothie* diversis paucisq; *Westrogothie* ad trecentas usq; orgyas nullum reperiens fundum. Confirmat hoc singulare quoddam experimentum, cuius me participem non ita pridem fecit vir omni honore & fide dignus Magister *Ericus Simonius* Pastor & Praepositus *Vadstenensis* (qui longa edoctus experientia, non pauca meæ curiositati inservientia subministravit:) extitisse videlicet civem quendam *Vadstenensem* Benedictum *Amberni*, qui ut ad litora civitatis *Grennensis Vetteri* exploraret profunditatem, aliquot centum Orgyarum funes, securi loco ponderis appensa, demiserat, fundo autem nusquam reperto, cum funes iterum collegerat, securi deperditæ, cranium equi chordæ exactè alligatum obtinuit. Similis item abyssus ad precipitia montis *Ohmensis*, quæ *parietis occidentalis* nomine insigniuntur, rimantium scrutinia semper illusit, ut ea propter non facile quisquam his ad propinquare audeat metu *Zephyri*, qui subito increscens, anchoris nequidquam juvantibus quamvis undiq; jactis ad declivia montium navigia facile protrudit. Pariter ad *Westrogothie* quandam plagam altitudinem aquarum metiri cupiens olim Gubernator Comes *Johannes Oxenstierna*, projectis 300 orgyarum funibus nullum offendit fundum, prout hoc testantur pescatores adhuc in vivis, quibus hoc negotii illo tempore committebatur. Limpida non minus quam profunda aquarum haec est congeries, ut ad distantiam insignem parvulus in fundo cernatur numerus. Ipse Magister *Ericus Simonius* album vel denarium 60 immersum cubitis aere sereniore se fatetur observasse. A superficie autem remotior aqua aliquâ quasi viriditate tincta videtur: Et mirum sane tot fere in hanc exonerantes paludum, montium, sylvarumq; fordes, limpidam hanc aquam ne leviter quidem inficere.

Amplitudine licet multos noster supererat lacus, ut plurimum tamen à Scopolis immunis paucissimis gaudet insulis: Quarum præcipua Comitum *Brachæorum* antehac sedes *Visingsoe* dicta, in medio aquarum *Grennam* *Smolandie* & *Westrogothiam* interjacet, prout ad boream insula *Roknensis* Acidulis *Medeviensibus* è regione est opposita: Apparent & aliæ ad litora sitæ insulæ, paucissimæ tamen æquæ ac parvæ. Cum vero ventis sic liberè expositus, proceris undiq; cingatur *Vetterus* montibus, nil mirum raro eundem quiescere, sed procellis sæpius agitatum, altioribus arctisque fluctibus navigantium cymbas vehementer concutere; Idq; adeo sæpè inopinatò, ut aquis instar speculi quietis tectè commoveri incipiat, antequam vel minima aeris ventilatio sentiatur. Quod efficere videtur tempestas, sub aquis aliunde oriunda, sensim eundem protrudens, priusquam ventorum turbines eosq; potuere derivari. Haud enim in *Vettero* infrequens furentibus ventis ferri navigia in uno loco, cum alia in confiniis ob tranquillitatem aeris remis propelli cernuntur. Indicio minimè frustraneo à ventis subterraneis irruptiones ejusmodi aquarum abundè promoveri eodem plane modo, atq; similes effectus explicare conatur *Varenius* in *Geograph. Univers.* Confirmant has suspiciones Phœnomena diversa. Imminente enim Tempestate imbrisq; ululatus vel tonitru aquarum aere adhuc Screno percipiuntur, quod mihi ipsi ad *Medevenses* Acidulas, aurâ etiamnum placidissimâ, non raro audire contigit subsequeute semper turbine procelloso. Manifestius adhuc hoc experiuntur incolæ *Visingsoenses*, quibus ab illo tractu insulæ, unde die posteriori venti oriuntur, instar ictuum tormentorum aures confusè vellicantur. Cumq; ad orientem ejusmodi rugitus deprehenduntur, ut plurimum cum grandine & pluviis excitari solet Eurus. Consideratione etiam dignæ variæ illæ sunt sufflationes, vaporum subitanæ elevationes, & confestim prosilientes halitus, quos in hoc lacu nonnulli observavere. Non absque admiratione tale quid cum Sociis animadvertisit Architectus *Abraham Winandz* qui has oras aliquando

aliquando præteriens, aquis tum maximè quiescentibus, strictim hinc inde instar telorum è fundo ejaculari nubeculas conspexit, qui deinceps fumi in aere sese jungentes, levibus pluviis toto die peregrinantes infestarunt, quæ omnia ventorum subterraneorum præsentiam non incertè arguunt.

Idem procul dubio ventus, cum superiùs adveniente procellâ in causa est, quod cum tempore verno glacies adhuc valida & spissa hac horâ equis trahisq; sustinendis abundè sufficiat, alterâ, glacie evanescente ejusdem ruptum per totum lacum repente adeo contingat, ut qui paulo ante equis secure vehebatur, jam aqua undiq; patente ibidem placidè queat navigare. Antequam verò ejusmodi metuenda irruptio, stupendus qui præcedit aquarum rugitus viatoribus fugam cum terrore suadet, qui tamen à litore aliquando remotiores, vel aquis extemplo immerguntur, vel super glaciei fragmenta morti vicini aliquandiu vagari coguntur. Nonnunquam abruptè fundum petit glacies aere vel minimè commoto.

Num verò subterraneis ejusmodi ventis excitandis metallici inserviant halitus, hac vice in medio relinquo. Eos verò illic loci neutram deficere evincunt varii ad *Vetteri boreales* *Nericæ Westrogothie* & *eq;* plagas siti montes, venis martialibus, fortasse & metallicis nobilioribus nuperius detectis, aliisq; mineralium speciebus diversis, Antimonio videlicet, *Magnesia*, *Calce*, *Micā* sterili nitide, Galenæ speciebus, *Ochrâ* Pyriteque opulenter referti, unde Sulphur, *Vitriolum*, *Alumen* aliiq; succi minerales elici alioqui consuevere. Quin in ipsis pariter aquis, non minor Pyritis quantitas quam *Ochræ* cuiusdam ferruginosæ copiosa reperitur congeries, cuius frustula curiositatis ergo non raro ipsam collegi. Huc ignis referendus est fatuus, non ad litora solum frequentur observatus, sed tempore nocturno in mediis aquis volitare & pescatores confundere visus. Quem crescentibus metallicis sulphurisq; deberi halitibus plurimis est persuasum. Nec sine Vaporum mineralium ope

U u u u u u u u u u u

Gra-

Granati, Porphyrii, Jaspires, Chystalli, selectiq; aliis generantur in hoc lacu lapides, qui à beato Comite Petro Brabeo olim collecti, & ad tantum redacti fuere nitorem, ut inter ornamenta Sponsarum etiamnum *Visingburgi* exhibeantur. Quæ omnia metallicam agnoscunt prosapiam, ut Vettero propinquas *Medevienses* taceant Acidulas, quarum descriptionem Regiæ Societati proximè animus est exhibere.

Inter reliquas nostri lacus proprietates admirationem sanè non effugunt insignes sub aquis vortices, torrentesq; pertinaces, qui in hoc unico licet gaudente ostio ventis fluctibusq; directè obversi pescatoribus non leve faceffunt negotium. Suspicio hinc enata ob profunditatem inexhaustam, elam ruentes alveos ventosq; sub terrâ genitos aliquam huic Vettero cum alio ab hoc ad occidentem X milliaribus *Suecicis* distante *Vennero* sub tellure esse communicationem. Nec aliter suadent diversæ voragini hos lacus interjacentes, quarum duas paræciæ *Fægrensis* voraginem albæ & nigræ nomine insignitas, metiri curavit Dominus *Haddorpius* celebris in *Suecia* Antiquarius, altitudines verò deprehendit immensæ, motumq; in his observavit intestinum, ac si fermento turgidæ extitissent. Eadem opinioni fovet, quod absq; causâ manifestâ certis annis augeatur nostra aqua, cum sequentibus notabiliter iterum decrescat. Animadvertisit Pastor *Motalensis* Dominus *Daniel Rydelius* præteritis hisce septem Annis, certis quibusdam in locis sensim adeò evanuisse *Vetterum*, ut ad aliquot orgyas sicco pede illuc ambulare potuerit, quo cymbis antea vehi cogebatur, pluvia interea temporis, annis videlicet 1680, 1682, 1684 & 1685 undiq; abundantes. Anno verò 1686 versus autumnum aqua paullatim iterum cernebatur augeri ad hunc usq; annum 1688. An vero stata sic fervet tempora noster lacus, ac *Vennerum* singulis septem annis accrescere septemq; vicissim diminui ejus rimatores contendunt, de hoc certi quid determinare nequeo. Admiratione itidem este dignum, aere sereno tormentorum ibidem sentiri explosiones, *Holmiae* aliisq; in locis ad 30 millaria distantibus institutas. Ut cum Anno 1685 Regii Prin-

Principes *Holmiae* sepelirentur horâ quintâ quilibet iactus exactè perciperetur. Pari facilitate tela Anno 1676 in pugna navalium explosa ad 30 circiter milliaria distinctè fuere observata.

Quæ verò de *Gilberti Spelancâ* in insula *Visingfjensi*, *Olaus Magnus*, *Messenius* aliiq; historici referunt, auctorum sint relicta fidei. Hoc equidem constat reperiri adhuc cavernam & quidem factore refertam sulphureo & nauseabundo, quem assentientibus accolis ipsi speluncæ prope aquas in palude sitæ & collecto per longius tempus squalori, sulphureos, uividolq; exhalanti Vapores potius adscribendum censem, quam causis quibusvis vulgò allegari solitis. Cum etiam in his simplex antiquitas levitatem in fabulis credendis facile prodiderit, utut de eodem *Gilberto* ejusq; Præceptore *Catillo Runske* stupenda non pauca referantur. Adparere interim in confiniis diversa spectra & phantasmatæ, quæ ut plurimùm fæminarum, aliquando equorum vel alias animalis ludicrâ specie sese fistunt, nemo hisce curiositatibus intentus inficiabitur. Evincerent hoc ipsum diversæ vetustioris æq; ac recentioris ævi historiæ, nisi obiter solum singula hac vice decrevissim pestringere.

Nec silentio præteriri debet celebris iste amnis *Motala*, qui unicum uti dictum *Vetteri* nostri ostium, certis temporibus fluiditatem quasi deponere, & in decursu adeo solet fisti, ut liberò hunc ingredi, piscesq; in fundo relictos absq; impedimento capere nonnunquam fuerit concessum. Prout Anno 1682 & 1685 tempore *Nataliticorum Christi* idem evenisse constat. Vulgo & accolis unanimiter est persuasum, impunè nunquam Fluminis retardationem contingere, nisi vel caritatem anoræ ingentem, vel Bellum, vel qualemq; publico præsagiat detrimentum, æque ac Balænarum in *Tamefin* ingressus *Anglis* fatale quid portendere perhibetur. Mihi verò ut Physico, naturales mirandorum effectuum causas unicè inquirenti quibuscumque narrationibus satisfieri non potuit, nisi naturæ legibus easdem deprehenderim conformes. Sollicitus idcirco in iis fui examinandis, quæ lucem huic

Phænomeno fænerari videbantur, licet fluminis retardationem coram spectare nunquam licuerit. Utut verò variè hanc rem explicare conentur huic amni vicini, illo instanti aquas à litoribus recedentes fundum petere rati, semper tamen suspicio mihi ob'orta fuit, vel glacie vel nive fluminis infirma obstructa, munimentum aquis præbuuisse inferioribus interea sese in Mare exonerantibus. Ansam huic opinioni dedit T°. Quod nunquam vere, Æstate vel Autumno, sed semper tempore *Natalitiorum Christi* vel novi Anni isthac contingerit mutatio. T°. quod prope pontem semper contigerit, ubi aquis ultra tres ulnas minimè profundis, aggerum lapidumq; acervi quibus Pons innititur, fluminis decursum refrænant. Hanc suspicionem veritati consonam testatur propria & aliorum experientia suffultus Pastor Ecclesiæ *Motalensis* in limine pontis habitans, qui herbus longiores, ut Potamogetan, Polygonum aquaticum, &c. a ponte ad propinquos anfractus in aquis germinare asservit, & his glaciem striarum instar & nivis congelatæ adhærere, quæ à flumine detrusa & in pontis fundamenta delata tractu temporis cumulari & toto amni sistendo sufficere potest. Fatentur pariter molitores ibidem habitantes, imminentे fluxus cohibitione, niveas quasi moles è lacu derivari, quæ corpori, cui impingunt, instar glutinis adhærentes, fundum sensim petunt. Nec infrequens aquas per totum lacum uno die æqualiter quietas, altero irritatas prope pontem fisti. Quidquid verò sit mirationem adhuc subiā non hyeme intensissimo, sed aere clementiore, & quidem ut plurimum circa ferias Natalitias, & novi anni retardationem contingere. Frigus fortè sub aquis adhuc viget, licet in aere cessaverit, vel glacies debilius congelata herbis aliisq; impedimentis detenta, obstructiones hasce parit.

Antequam verò de tabula manum detraxero, silentio neutquam præterire possum ea quæ de fonte quodam non longè à *Vettiri* litore in paræcia *Nyen*. (ubi & Acidulæ *Mederienses*) prope Templum & Pastoris ædes sita, ex ingenua parochi dignissimi D. *Jona Frodelii* aliorumq; relationibus.

onibus haurire licuit. Eturinum hunc fontem vel annonæ appellant vatem, èò quod nunquam aquâ sufficienter repleatur, nisi annonæ succedat sequente Anno caritas. Ambiunt hunc fontem undiq; colles arenosi molliores. Interjacet hos vallis cæpessâ, sed minime paludosa. Ex hac occultis meatibus hæc Seaturigo promanat, in eo singulare quid obtinet, quod Æstate pluvii abundante ut plurimam evadat aridus, cum vicissim æstatibus siccissimis, instantे fame, ut & secundum alios (quos attingere non vacat) bello, Regiam Motalensem Vadstenensemq; viam inundet, prout multorum ibi habitantium evincunt testimonia. Anno 1685 pluviis & imbribus frequentissimo, penitus hic fons exaruit, nec ultra dimidium pedem squalida. Anni 1686 æstate aqua accrescere visa est. Nec veritatem hujus narrationis in dubium revocare presentis anni permittit siccissima ætas, quâ cum aquis penitus vacui evaserunt fontes vicini omnes, hic aquâ quam maximè abundavit. Quamvis autem vel fabulam vel superstitionem multis hæc narratio forte sapiat, à veritate tamen neutquam aliena plurimorum firmata est experiens, ut vel hinc elucescat, intimius recondita esse naturæ arcana, & innumera potius densiore sub velo latitare, quâm ut iisdem enucleandis sufficientes nos arbitremur. Si tamen ad sequentia hac in parte attendere velimus momenta, faciliore negotio forte res expedietur.

1. Soli Ostrogothiæ ex locis fonti proximiорibus annonæ denunciari carietatem.
2. In totâ hac Regione fontisq; præcipue vicini arenosum esse campum, parte etiam aliquâ limo duriore gaudente, quibus imprægnandis sufficiens semper requiritur lympha, proinde etiam.
3. Deficere ibidem segetes non nisi in siccioribus annis, cum contrarium obtineat Iemertia, aliæq; provinciæ nonnullæ septentrionales.
4. Meteororum tempestatisq; proventum, terræ & quidem sub superficie latentis aliquando sequi indolem.

(1946)

5. Prope colles arenosos venis non patentibus per fabulum quasi colaturā trajectas collegi aquas hujus scatuginis.
6. Physicas ob causas imminentē tempestate sicciore, augeri vel abscedere posse eas aquas, pluviosā iterum decidere, quæ prolixius deducere alterius erit temporis & instituti

Sapienti interea sat dictum ratus, hisce accurate perennis non statim profictis reputanda confido, quæ rationi non exemplo patescunt.

Pauca hæc de *Vettore animus* fuit referre, ut non minus quid veri de eodem traditum fuerit elucescat, quam fide temerè indignum non censeatur, quidquid primus non percipit intuitus. Multa sic penitus indagari deberent, quæ ab *Olao Magno* descripta ad fabularum seriem vulgo rediguntur, quæ veritati tamen consona hyperbolice nonnunquam ab eodem proferuntur.

IV. *Experiments on the Resilition of Bodies in Common Air, in Vacuo and in Air Condens'd, made at a meeting of the Royal Society at Gresham College. By Mr Francis Hauksbee.*

Having provided a tall Glass Recipient, in whose upper part I had a contrivance to lodge 4 Marbles, and from thence successively could drop them on a Plane at pleasure ; by which means, opportunity was given to make the more deliberate observations. But before I proceed to relate the Experiments themselves, I think it will be necessary first to take notice, that the distance of the descent of each Marble on the Plane was about $13\frac{1}{2}$ inches. The weight of two Marbles 59 Grains, the other two 63 Grains ;